

De Philosophia Moralia Christiana [Fortsetzung]

Autor(en): **Ramírez, J.M.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Divus Thomas**

Band (Jahr): **14 (1936)**

PDF erstellt am: **02.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-762253>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

De Philosophia Morali Christiana.

« Postilla » quaedam ad calcem « glossae ordinariae »

R. D. Caroli Journet.

Scriebat J. M. RAMÍREZ O. P. Friburgi.

Non erat praeter expectationem quod nostra *Responsio responsionibus « completis et adaequatis » Domini Jacobi Maritain*¹ glossemata sat cito provocaret ex parte amicorum eius. Et quidem feliciter hanc provinciam sibi assumpsit « alter ego » Domini Maritain, R. D. Carolus Journet, vir doctus in disciplinis philosophicis et theologicis.²

Profecto, ex illis non sum qui controversiam multoque minus polemicam *per se* adamant — nam, ut profunde animadvertit S. Thomas, motus non est propter moveri — ; verumtamen, *per accidens*, ad modum « removentis prohibens » falsificationem, aut certe deformationem, eius quod veritas mihi esse videtur, non possum non « postillam » quandam apponere ad « glossas » R. D. Journet, spiritu polemico penitus resecato. Itaque virum optimum rogo, ut in mea « postilla » videat signum humanitatis, aestimationis, amicitiae, sub vexillo amoris veritatis, quam uterque sincero corde, diversis licet viis, persequimur.

Ergo, « postillatorum » more, liceat mihi distinguere in scripto R. D. Journet *prooemium* et *glossam* proprie dictam, quae sex glossemata ex ordine numerata continet.

I

Prooemium.

Est splendidum exemplar prooemii quod, iuxta antiquos « postillatores », debet in primis *captare benevolentiam* lectoris vel auditoris. Adeo pulchrum, suave, immo et tenerrimum est, ut ad litteram, salvo iure proprietatis, exscribere non dubitemus.

« Un dialogue du P. Ramírez et de Jacques Maritain sur la philosophie morale chrétienne, même conduit avec vivacité, pouvait apporter beaucoup de lumière sur un difficile et important sujet. Nous nous réjouissions qu'il fût engagé. La réponse du P. Ramírez vient hélas nous détromper.

¹ Divus Thomas 14 (1936), pp. 87-122.

² Nova et Vetera, Revue catholique de la Suisse Romande 11 (1936), p. 106-107.

Pas de dialogue possible. On y manque de sang-froid. On y prête à l'adversaire des expressions blessantes comme « retardataire » et « fossile » dont on est seul responsable. On y use de procédés fort regrettables. Quittons donc ces régions qui n'offrent pour nous aucune espèce d'intérêt. Essayons de montrer par quelques exemples, pourquoi les répliques du P. Ramírez ne réussissent pas à nous convaincre, et comment plusieurs sont purement verbales » (p. 106 a).

Sincero animo fateor hoc prooemium mihi vehementer placere et, nisi iam pridem benevolentia magna erga R. D. Journet fuissem affectus, prooemium istud captasset certo meam benevolentiam; eam tamen confortavit solidavitque, si non « originative », certe « completive » et « perfective ».

Itaque gratias in primis refero R. D. Journet pro dialogo amicabili, quem mecum his verbis exorditur; — quod quidem, ni multum me fallit opinio, a posteriori, ex facto, demonstrat dialogum mecum non esse metaphysice impossibilem.

Pergratus insuper ei exsisto ob verba sequentia, quibus R. D. Journet « autobiographiam » quandam « très intéressante » delineare visus est.

Circa id tamen, quod ipse appellat « expressions blessantes » comme « retardataire » et « fossile », notare velim me textum originale cum sua propria « expressione » dedisse, simul addens me versionem latinam ad *sensum*, non ad litteram, offerre, ut cuilibet « sanguine frigido » legenti patet.¹ Nulla ergo attributio « expressionum » huiusmodi habetur in meo textu. Fortasse, latina versio non est ad unguem usque castigata; nam *sensus* « expressionis » D. Maritain: thomistae « partisans d'un certain *immobilisme* », posset verti per phrasim: thomistae « pedestres »; e contra, thomistae « evolutivi » possent appellari thomistae « motorisati ».

At quidquid sit de « expressionibus » plus minusve « blessantes », fateor me eis non fuisse « blessé ». Nec puto me « vulneratum » iri ob expressiones adhuc « plus blessantes », si quis velit eas in medium producere. Sed « hélas ! », debemus « quitter » « ces régions » adeo « intéressantes » huius prooemii, ut statim videamus « par quelques exemples », « comment plusieurs » ex nostris replicationibus ad responsiones D. Maritain sunt « purement verbales »; nam videre « pourquoi » nostrae replicationes « ne réussissent pas » ad eum convincendum, « n'offre pour nous aucune espèce d'intérêt », quia nec intendebamus nec intendimus convincere aut convertere asseclas D. Maritain. Absit !

II

Glossae.

In nostris replicationibus ad responsa D. Maritain semper citavimus Opera et loca quae impugnabamus aut quibus nitebamur. Haud scio an hoc sit « user de procédés fort regrettables »; nam R. D. Journet ab hoc

¹ Responsio, p. 89: « Sic enim verto *sensum*, non *vocem* gallicam, partisans d'un certain *immobilisme* ».

usu duxit abstinere, semper omittens indicationem praecisam loci impugnati aut crisi subiecti. Hunc tamen usum et in praesenti sequemur, ne sine causa a lectoribus « fidem humanam » extorquere videamur.

Prima glossa. Dixerat D. Maritain prudentiam consistere formaliter in dirigere, non in cognoscere; scientiam vero moralem speculative-practicam consistere formaliter in cognoscere veluti fundamento τοῦ dirigere, non in ipso dirigere.

Cui responderam ipsum dirigere prudentiae, hoc est, praecipere seu imperare, non solum non excludere formaliter τὸ cognoscere, verum et formaliter ipsum includere; cum imperium, iuxta politiores quosdam thomistas, sit formaliter iudicium quoddam practicum.¹ — Itaque prudentia simul est *formaliter* directiva et cognoscitiva, ita ut indifferenter dici possit quod dirigit cognoscendo vel quod cognoscit dirigendo; quia revera eius cognitio est *formaliter* directiva eiusque directio est formaliter cognoscitiva.

Ad quae R. D. Journet hanc « glossam » apponit: « oui, la prudence consiste formellement dans le connaître qui est « per conformitatem ad appetitum rectum » et qu'on appelle *le diriger*; elle ne consiste pas dans le connaître qui est « per conformitatem ad rem » et qui est *le connaître tout court* » (loc. cit., n. 1). Et in confirmationem adducit textum Caietani (In I-II q. 57 a. 5, n. 2), a D. Maritain iterato reproductum.

Attamen hae duae propositiones: veritas intellectus practici est [formaliter] per conformitatem ad appetitum rectum, et: veritas intellectus practici consistit formaliter in dirigere, non sunt aequivalentes, neque ideo convertibiles simpliciter, sed se habent ut genus ad speciem. Omnis quidem veritas intellectus practici — vel potius rationis practicae — sumitur formaliter per conformitatem ad appetitum rectum; sed non omnis veritas rationis practicae consistit formaliter in dirigere, hoc est, ordinare imperando, quod est dirigere prudentiae. Nam etiam in consilio et in iudicio sunt veritates rationis practicae, quae formaliter sumuntur per conformitatem ad appetitum rectum, quin tamen sint formaliter nec identice ipsum dirigere seu imperare.

Hi enim tres actus rationis practicae: consilium, iudicium et imperium, sunt specie differentes, cum consiliari recte sit formalis actus τῆς εὐβουλίας; iudicare recte, actus τῆς συνέσεως; et imperare recte sit actus proprius prudentiae, — quae sunt tres virtutes rationis practicae specie differentes.²

Licet ergo dicere: recte dirigere est veritas rationis practicae, quae sumitur per conformitatem ad appetitum rectum; at non licet dicere: veritas rationis practicae, quae sumitur per conformitatem ad appetitum rectum, est ipsum dirigere. Sicut dicere possumus: omnis homo est animal; at nequimus dicere: omne animal est homo.

Haud scio an haec responsio quibusdam videatur « purement verbale ». Puto tamen quod, sicut non mere verbaliter, sed realiter et essentialiter [specificè] differunt ἡ εὐβουλία, ἡ σύνεσις et prudentia, — ita et specificè et realiter differunt veritas formalis τῆς εὐβουλίας (= consilii), veritas formalis τῆς συνέσεως (= iudicii) et veritas formalis prudentiae (= imperii).

¹ Responsio, p. 91.

² II-II q. 51 aa. 1-3.

Neque textus Caietani est ad rem, quia ad quaestionem de specie non respondetur per genus. Clara et explicita distinctio harum trium specierum veritatis practicae, quatenus etiam ipsum dirigere est formaliter cognoscitivum seu iudicium specie distinctum a iudicio consiliativo τῆς εὐβουλίας et a iudicio simpliciter dicto τῆς συνέσεως, non est quaerenda a Caietano, qui eam explicite non tetigit, sed a posterioribus thomistis, quos in citata Responsione retulimus.

Itaque tam D. Maritain quam R. D. Journet verum dicunt, sed *non totum*, sicut qui dicit hominem esse animal dicit verum, at non totum: homines autem « progressivi » solent *totam* veritatem quaerere, sicut milites « motorisati » solent *totam* provinciam percurrere et invisere.

Secunda glossa. Affirmaverat D. Maritain quod philosophia moralis christiana adaequate sumpta potest, immo et debet considerare (= s'occuper) virtutes infusas theologicas et morales, hoc est, « *scruter ces mêmes problèmes, entrer ... dans le monde même de la spiritualité, de la grâce, de la sainteté* ». ¹

Negavi ipse talem possibilitatem, argumento quod videri potest in « Bulletin Thomiste ». ²

Huic argumento aliter responderat D. Maritain et aliter respondet R. D. Journet: ille responderat reducendo argumentum meum ad « errorem lectionis », — cui ego, *iuxta subiectam materiam*, replicationem adieci, demonstrando per « authentica » documenta talem « errorem » potius quam in « legente » esse in « respondente » ³; — iste respondet distinguendo: « il est défendu à la philosophie morale adéquate de s'occuper des vertus infuses, c'est-à-dire d'en *instituer le traité*, oui ! ; il est défendu de s'occuper des vertus infuses, c'est-à-dire d'en *tenir compte*, de recevoir sur ce sujet les renseignements de la théologie, non ! » (loc. cit., n. 2).

Haec distinctio, efformata fere ex verbis D. Maritain, quae paulo antea retulit R. D. Journet ⁴, mihi persuaderi non potest, etiam optima voluntate disposito. *Primo* quidem ex parte qua verba [et sensum] D. Maritain reproducit. Nam verba illa erant ipsamet contra quae argumentabar in « Bulletin Thomiste ». — Respondere autem argumento adversarii, etiam in forma stricte scholastica, per eadem verba ab eo negata, veteres peripatetici appellabant « petitionem principii »; quidam vero recentiores, a scrupulis cuiusdam aristotelismi satis simplicis purgati, vocarent potius responsionem « purement verbale ». Qua de causa D. Maritain, ut puto, ab hoc modo respondendi, quem in promptu habebat, abstinuit.

Deinde, quia non video bene aequipollentiam inter « tenir compte » conclusionum theologiarum et « recipere » conclusiones illas a theologia.

¹ De la Philosophie Chrétienne, p. 71.

² Bulletin Thomiste, avril 1935, p. 430.

³ Responsio, p. 97-99.

⁴ « Le savoir morale adéquatement pris n'a pas à instituer comme la théologie morale un traité des vertus infuses théologiques et morales; il n'institue pas ce traité, *il s'éclaire auprès de lui, il en reçoit les conclusions* », (Nova et Vetera, l. c., n. 2).

Recipere enim, ni multum fallor, significat eas cognoscere *positive assentiendo*; *tenir compte* potest esse cum sola cognitione sine assensu et sine dissensu positivo — nam cognoscere *dissentiendo positive*, esset eas *respuere*, non eas accipere —. Quantum ergo capio, « tenir compte », de se, solum importat *directionem negativam*, quam omnes admittimus *fidei* in philosophiam¹; sed « *recevoir* . . . les renseignements de la théologie », importat formaliter *directionem positivam*, de qua praecise disputamus.

Tertio, quia quomodocumque sumantur « tenir compte » et « recevoir », vehementer dubito an sint idem quod « entrer » et « scruter »: haec enim duo important plus quam simplicem notitiam vel etiam adhaesionem, cum implicent *positivam investigationem*. Nisi dicatur quod philosophi christiani, etiam « adaequati » et « superelevati », sunt sicut illi scrutatores qui « defecerunt scrutantes scrutiny » (Psalm. 63, 7). — Sed hanc quaestionem philologico-philosophicam libenter relinquimus ventilandam Dominis Maritain et Journet.

In modum tamen explicationis adiungit quae sequuntur: « et si elle en tient compte, il est clair qu'elle ne reste pas impuissante et inefficace à connaître la fin surnaturelle » (loc. cit., n. 2).

Evidenter, « si elle en tient compte », sive id significet merum cognoscere absque assensu vel dissensu positivo, sive significet cognoscere cum positivo assensu per modum *receptionis*, — « il est clair qu'elle ne reste pas impuissante et inefficace à connaître la fin surnaturelle »; nam clarissimum est quod, qui cognoscit aliquid de facto, non est impotens ad illud cognoscendum.

Sed praecise de hoc agitur: an philosophus christianus has veritates recipiat *ut philosophus* vel *ut christianus*. Eas necessario recipit *ut christianus*; nisi enim eas *positive* reciperet, eis *positive assentiendo*, christianus seu fidelis non esset: — sed recipitne eas formaliter *ut philosophus*, ita ut ipsa philosophia reduplicative *ut philosophia* sit earum potentia receptiva, et quidem *positive* per modum *affirmationis*? En problema. Et non licet transire a philosopho *ut christiano*, hoc est, *ut fideli specificative*, ad philosophum *ut reduplicative philosophus* est: sunt res toto genere differentes. Et nisi probetur quod philosophus christianus, *ut reduplicative philosophus* est, eas recipit, nihil conficitur argumentando vel respondendo « in forma » vel « extra formam ». Recipere has veritates *assentiendo positive* est quid *commune* omnibus christianis in catechesi et in praedicatione, non quid *proprium* et exclusivum christianis *ut philosophis*: secus, christiani non philosophi non possent eas recipere, quia carerent propria potentia receptiva.

Quod si dicatur haec esse « pure verbalia », haud video quomodo vitari possit quod tota fere scientia cum philosophica tum theologica reducatur ad quaestiones « mere verbales ». Sane, si leges *appellationis terminorum* non servantur in scientiis, in puram sophisticam seu in purum

¹ Dico: *fidei* in philosophiam, potius quam *theologiae* in philosophiam; nam de directione *fidei* in philosophiam loquuntur exclusive documenta ecclesiastica et theologi communiter. Cfr. Responsio, p. 110.

putumque nominalismum incidimus ; quia tunc omnia de omnibus indifferenter dici possent. Valeret tunc legitime argumentari : aliquis catholicus non est sanctus ; ergo ecclesia catholica non est sancta : ecclesia catholica est indefectibilis in fide ; ergo omnes homines catholici sunt indefectibilis in fide : Romanus Pontifex est infallibilis ; ergo Achilles Ratti (= persona privata Romani Pontificis) est infallibilis : medicus cantat ; ergo Medicina est Musica ! Norunt omnes haec omnia esse fallacias aequivocationis ab appellatione formali ad materialem et vicissim.

Philosophus ut philosophus non credit positive neque discredit, sicut scientia ut scientia non credit neque discredit positive¹ : habitus scientificus non est creditivus, sicut neque habitus creditivus est scientificus. Sed pudet in rebus perquam evidentibus insistere.

Quae postremo ironice subiungit : « *était-il donc utile de nous renvoyer ici au Dictionnaire de l'Académie Française, septième et huitième éditions ?* » — manifeste sunt extra rem. Si D. Maritain dedisset « profundam » et « realem » responsionem R. D. Journet, talis appellatio ad Vocabularium Academiae Gallicae et ad quancumque philosophiam esset inutilis prorsus, immo et inutile esset hanc inutilitatem sublineare, quia esset de subiecto non supponente ; sed, data responsione D. Maritain, cui unice ego replicationem afferebam², talis recursus nedum utilis, sed et omnino necessarius erat. Neque huic replicationi respondet R. D. Journet, sed argumento priori « Bulletin Thomiste », cui D. Maritain infeliciter responderat. Ut quid ergo semper divertere ad extranea ? *Con agua pasada no muele molino*, ait proverbium hispanicum.

Tertia glossa. Eam ad litteram exscribimus : « fidèle à Jean de Saint-Thomas qu'il traduit littéralement (« La Philosophie de la Nature », p. 84), J. Maritain note que l'opération abstraactive, considérée dans ses façons typiques de s'éloigner de la matière fonde les trois ordres génériques d'abstraction : « ex parte termini a quo habet derelictionem materiae quae triplex est . . . , et sic constituitur triplex genus abstractionis ». Considérée selon les façons typiques dont elle constitue l'objet à un certain degré déterminé d'immatérialité (« terminus ad quem ») ou de cognoscibilité, elle fonde les diversités spécifiques entre les sciences, et ces diversités

¹ Quo in sensu S. Thomas, *ut theologus*, ait : « *simpliciter concedimus veram hominis beatitudinem esse post hanc vitam*. Non negamus tamen quin *aliqua beatitudinis participatio in hac vita* esse possit, secundum quod homo est perfectus in bonis rationis speculativae principaliter, et practicae secundario ». Ac statim introducit Aristotelem loquentem *ut merum philosophum* : « et de hac felicitate *Philosophus* in libro Ethicorum determinat ; *aliam*, quae est *post hanc vitam*, *nec asserens nec negans* » (IV Sent., dist. 49, q. 1 a. 1, q. 4, in fine corp.). Per beatitudinem autem *post hanc vitam*, intelligit S. Thomas beatitudinem supernaturalem, quam fides docet (I-II q. 5 a. 5), quae est beatitudo *vera*, hoc est, *perfecta* et omnibus numeris absoluta (quaest. cit., a. 3). Neque tamen eius poterat Philosophus « tenir compte », ullo modo, quia eam *simpliciter ignorabat*, quin tamen illam falsificaret : ignorare non est negare, neque ideo falsificare ; secus, falsificaremus quaecumque ignoramus vel nescimus.

² Responsio, p. 97-99.

peuvent se rencontrer au sein d'un même ordre générique d'abstraction. En quoi consiste en définitive ce « terminus ad quem » ? Il consiste dans le « modus definiendi » (loc. cit., n. 3).

Ni vehementer fallimur, quod in hac « glossa » continetur, reducitur ad sequentia. Operatio abstractiva (l'opération abstractive) potest considerari dupliciter : uno modo, ex parte termini *a quo*, hoc est, *materiae* quam relinquit vel a qua recedit, et sic fundat vel constituit triplex *genus* seu triplicem ordinem *genericum* abstractionis, quia recessus a materia potest esse triplex tantum, nempe a materia singulari, a materia sensibili et a materia intelligibili seu imaginabili, idest ab omni materia ; — alio modo, ex parte termini *ad quem*, hoc est, gradus *immaterialitatis vel cognoscibilitatis* obiecti scibilis, et sic fundat differentias *specificas*, ideoque diversas *species* scientiarum, quae quidem inveniri possunt intra idem *genus* seu eundem ordinem *genericum* abstractionis, — et iste terminus *ad quem* ultimatim (en définitive) consistit in *modo definiendi*.

Hoc est aequivalenter dicere quod *genus* scientiarum sumitur ex parte termini *a quo* abstractionis ; differentia vero *specifica* atque ideo *species* earum, sumitur ex parte termini *ad quem* eiusdem abstractionis, qui est *modus definiendi*. Neque aliud tribuebam D. Maritain in mea « Respon- sione », quando dicebam : « iuxta eum, scientiae non *specificantur proprie loquendo* (= non distinguuntur *specie*) ex diverso gradu abstractionis formalis, sed *ex diverso modo concipiendi et definiendi* ». ¹

Si haec est « authentica » doctrina D. Maritain et R. D. Journet, ei calculum adiacere non possum. *Primo* quidem, quia operatio abstractiva (opération abstractive) est abstractio *active* sumpta, quae non fundat neque constituit abstractionem formalem specificativam scientiarum, cum haec sit abstractio obiectiva fundamentaliter sumpta, quam appellant *abstrahibilitatem*. — Vel enim esset abstractio intellectus agentis, vel intellectus possibilis. Non intellectus *agentis*, quae primo et per se est respectu abstractionis *totalis*, ex qua non sumitur specificatio scientiarum, sed solum se habet ad eam ut conditio *sine qua non* : non intellectus *possibilis*, sive sit per modum simplicitatis seu definitionis sive per modum divisionis seu enuntiationis, quia haec est formaliter *specificata* ab abstractione formali obiectiva seu fundamentali, *non primo specificans*, — et in tantum specificat habitum scientiae in quantum est *primo specificata ab obiecto scibili*. Potius ergo abstractio formalis obiectiva seu fundamentalis fundat abstractionem activam formalem intellectus possibilis, quam e converso. — Quod, cum communi thomistarum doctrina, expresse tradit Joannes a S. Thoma. ²

¹ Responsio, p. 104.

² « Notandum quod *non* sumimus hic abstractionem *pro actu* intellectus abstrahente, neque pro denominatione extrinseca ex illo consecuta ; sic enim esset circulus, quia diversa scientia abstrahens sumeretur ex diverso obiecto scibili seu abstrahibili, et diversum scibile ex diversa scientia abstrahente, — sed *sumitur abstractio pro abstrahibilitate obiectiva, quatenus obiectum fundat diversam immaterialitatem* » (Curs. philosoph., Logica, II P., q. 27 a. 1, ed. Vives, t. I, p. 728 a). « Sumitur ergo *species* scientiarum *ex diversa immaterialitate obiec-*

Secundo, quia distinctio termini *a quo* et termini *ad quem* abstractionis formalis non est propria abstractionis fundamentalis seu obiectivae, per ordinem ad quam sumitur specificatio scientiarum, — sed per se primo afficit solum abstractionem activam quae, utpote actio vel ad modum actionis (= motus) concepta, intelligitur habere terminum *a quo* et terminum *ad quem*.¹ Et hoc expresse adnotavit Báñez, quem citat et sequitur Joannes a S. Thoma: « abstractio significat *quendam motum rationis* a materia tanquam a termino *a quo* ad immateriale tanquam ad terminum *ad quem*, et maior vel minor separatio a termino *a quo* ponit maiorem vel minorem abstractionem ». ² Haec ergo distinctio non est ad rem, de qua agimus.

Tertio quia, dato etiam quod ad rem veniret, genus actus — sicut et genus motus — et genus habitus non sumitur a termino *a quo*, sed unice a termino *ad quem*, sicut et species, licet alia et alia ratione. Terminus *a quo* motus non est genus motus, quia se habet ad motum ut relinquendus ideoque ut privatio vel ut contrarius terminus; privatio autem non est genus, neque id unde genus sumitur, quia genus non relinquitur a specie, sed in ea positive includitur veluti pars potentialis eius. ³

Quarto, quia in abstractione formali, per contrapositionem ad abstractionem totalem, manet in intellectu abstrahentis cognitio positiva formae vel actus quem abstrahit, et subiecti vel potentiae a qua abstrahit. ⁴ Nec sine cognitione utriusque positiva potest realis et vera cognitio scientifica et adaequata dari, cum unum non sit intelligibile sine alio.

tiva seu fundamentalis » (ibid., ad 2 arg., p. 734 a). « Si radix intelligibilitatis est immaterialitas, et consequenter diversae intelligibilitatis diversa immaterialitas, — ita similiter *radix et principium diversae scibilitatis erit diversa immaterialitas seu abstractio* » (ibid., p. 729 a).

¹ De hac re videri potest J. M. Ramirez, in *La Ciencia Tomista*, t. 14 (1922), p. 341-348.

² De Generatione et Corruptione, proem., ed. Venetiis, 1596, p. 13. Verum tamen est quod Joannes a S. Thoma hanc distinctionem *extendit analogice* ad abstractionem obiectivam seu fundamentalem, cum ait: « ipsa abstractio est *quasi motus quidam*, in quo consideratur terminus *a quo* et terminus *ad quem*, **formaliter** quidem *in ipso actu abstractionis*, **fundamentaliter** vero et **obiective** *in ipso obiecto abstrahibili* » (Op. et loc. cit., p. 730 b). Constat autem hanc distinctionem *per posterius* tantum dici de obiecto abstrahibili, sicut veritas *per posterius* dicitur de *re*, hoc est, de veritate ontologica, formaliter vero seu per se primo de veritate logica seu cognitionis.

³ Ideo S. Thomas, post Aristotelem, distinguit motus *genere* ex termino *ad quem* distinctum *genere*; *specie* vero ex termino *ad quem* distinctum *specie* intra idem genus, ut videre est in V Physic., lect. 6; unquam autem somniavit distinguere motus *genere* ex termino *a quo*, et *specie* ex termino *ad quem*.

⁴ Ad rem S. Thomas: « duplex fit abstractio per intellectum: Una quidem [totalis] secundum quod *universale abstrahitur a particulari*, ut animal ab homine; alia vero [formalis], secundum quod *forma abstrahitur a materia*, sicut forma circuli abstrahitur per intellectum ab omni materia sensibili. — Inter has autem abstractiones haec est differentia, quod in abstractione [totali] quae fit secundum universale et particulare, *non remanet id a quo fit abstractio*; remota enim ab homine differentia rationali, non remanet in intellectu homo, sed animal — in

Quinto, quia abstractio formalis obiectiva seu fundamentalis idem est ac immaterialitas positiva obiecti scibilis, quae idem est ac eius cognoscibilitas seu intelligibilitas, et haec idem est ac eius definibilitas. Cum ergo haec omnia idem formaliter sint, etiam secundum Joannem a S. Thoma¹, omnino impossibile et absurdum est ex abstractione sumere genus scientiarum et ex modo definiendi differentiam earum specificam ideoque species; secus, idem formaliter esset genus et species scientiarum, et consequenter species intra idem genus non differrent inter se essentialiter et realiter, quod est contradictio in adiecto.

E contra, iuxta S. Thomam et rei veritatem, cum abstractio formalis obiectiva per modum simplicitatis seu purae distinctionis et modus definiendi seu definibilitas sint re et formaliter idem, tot modis dicitur una sicut alia. Sicut ergo dantur genera abstractionis, ita dantur modi generici definiendi, — ex quibus indifferenter sumitur genus et distinctio generica scientiarum: pariter, sicut dantur modi specifici definiendi intra eundem modum definiendi genericum, ita et dantur differentiae specificae abstractionis formalis intra idem genus formalis abstractionis, — et ex his indifferenter sumitur species et differentia specifica scientiarum. At *prorsus absurdum est in doctrina thomistica quod intra eandem speciem abstractionis formalis sint diversi modi specifici definiendi*. Dicere ergo quod philosophia naturae et scientiae naturales habent *eandem* abstractionem formalem et *diversum* modum definiendi, est aequivalenter affirmare idem secundum idem esse simul diversum, ut concludebam in mea Responsione.²

Quod si per eandem abstractionem intelligant eandem genere, non eandem specie, tunc utique dari possunt diversi specie modi definiendi, si abstractio illa genere una plures habeat sub se species abstractionis. Sed in casu praesenti manifeste recedunt a S. Thoma et a Joanne a S. Thoma, qui non admittunt plures species abstractionis formalis intra primum gradum seu primum genus abstractionis³: nec enim est necesse quod omne genus habeat sub se plures species, sicut non oportet quod omnis species sub se habeat plura individua. Et nisi probetur intra primum gradum seu genus abstractionis formalis dari de facto plures species abstractionis, inefficaciter et illogice concluditur diversus modus definiendi. Iterum iterum-

abstractione vero [formali] quae attenditur secundum formam et materiam, *utrumque manet in intellectu*; abstrahendo enim formam circuli ab aere, remanet seorsum in intellectu nostro et intellectus circuli et intellectus aeris » (I q. 40 a. 3).

¹ « *Definitiones et principia tunc erunt diversa quando diverso modo seu diversa immaterialitate definiunt* seu explicant quidditatem, siquidem radix *intelligendi* rem aliquam est *immaterialitas*, et diversimode *intelligendi* diversa *immaterialitas*; ergo etiam diversimode *intelligendi* quidditatem, quod est *definire*, et sic *diversus modus definiendi seu intelligendi quidditatem est diversa immaterialitas* » (Op. et loc. cit., p. 729 a). Diversa autem immaterialitas est diversa *abstractio a materia*, ut patet ex terminis, et paulo supra referebamus ex ipso Joanne: « *immaterialitas seu abstractio* ».

² Responsio, p. 104.

³ *Joannes a S. Thoma*, Curs. Phil., Phil. Naturalis, I P., q. 1 a. 2, ed. cit., t. II, p. 14-16.

que repeto : hoc est probandum et non supponendum, modum definiendi in Philosophia naturae et in scientiis naturalibus esse specie seu essentialiter distinctum, non mere accidentaliter aut etiam « pure verbaliter » differentem ; et meo quidem iudicio, neuter hucusque hoc invicte demonstravit. ¹

Quarta glossa. Dicebat D. Maritain quod philosophus moralis christianus non theologus accipit a theologo veritates theologicas *per fidem humanam*, et sic eius philosophia moralis evadit « adaequata » et *vera scientia* : quod sine tali fide non obtinet.

Adversus hanc doctrinam argumentabamur in hunc modum : « cum fides humana non sit virtus intellectualis, quae infallibiliter secundum speciem suam feratur in veritatem, non potest communicare philosopho rationem scientiae quam non habet, nec formaliter nec eminenter. Propter quod S. Thomas negat cognitionem fundatam in fide humana, quae est locus infirmissimus et infra scientiam ipsam, esse veram scientiam ». ²

Et ad calcem, in nota, ponebamus : « I Sent., prolog., a. 3, q. 3 ; I q. 1 a. 8 ad 2 ; II-II q. 4 a. 5 ad 2 », addentes et hunc textum Joannis a S. Thoma : « Ad praesupponendum principia in scientia superiori evidententer nota, *non sufficit quaecumque fides* », sicut est fides humana (« *Cursus theol.* », in I P., disp. II a. 5, n. 11, ed. Solesm., I, 365 a).

Ad quae R. D. Journet hanc apponit « glossam » : il s'agit ... non sans doute d'une « foi quelconque », mais cependant d'une « foi humaine ». Pourtant le P. Ramirez cite Jean de Saint-Thomas, comme si ce dernier excluait ici la foi humaine. Or cela est inexacte » (loc. cit., n. 4).

Auctoritas Joannis a S. Thoma a nobis adducebatur secundo loco et ad hominem potius quam simpliciter, ut patet ex toto contextu. Licet ergo haec deficeret, non ideo argumentum amitteret valorem suum.

Feliciter tamen auctoritas Joannis non deficit in casu. Quid intelligat ille per « quaecumque fidem » — de hoc enim est quaestio — non est determinandum *a priori*, dicendo : « cela est inexacte ! », sed ex proprio contextu et ex locis parallelis et ex notione fidei humanae quam ipse Joannes habebat, non quam habere potest quicumque « joannista » plus minusve fidelis.

Atqui revera per « fidem quaecumque » Joannes intelligit « fidem humanam ». *Contextus immediatus* hoc invicte demonstrat. Verba enim citata sunt responsio ad hanc obiectionem : « si fides solum requiritur ut supponens principia, non ut praebens illa, — ergo *quaecumque fides* sufficit ad theologiam, *etiam fides humana*, quia *haec* sufficit ad supponendum dari illa principia ». ³ Evidenter est eademmet fides de qua agitur in obiectione et in responsione, secus esset responsio aequivoca et « pure verbalis ». Si ergo per « quaecumque fidem » intelligit in obiectione « fidem humanam », eademmet « humanam fidem » debet in responsione intelligere.

¹ De habitu inter Philosophiam naturae et Scientias naturales sapienter disserit A. Fernandez-Alonso O. P., in articulo « Scientiae et Philosophia secundum S. Albertum Magnum », apud Angelicum 13 (1936), p. 24-59.

² Responsio, p. 117.

³ *Cursus theol.*, in I P., disp. II a. 5, n. 3, ed. Solesm., t. I, p. 363 a.

Sed et *loci paralleli* hanc interpretationem irrefragabiliter confirmant. Nam ad obiectionem quod « ad theologiam sufficit *fides humana* », « *sicut in aliis scientiis subalternatis cum credunt sua principia* »¹, respondet : « *cum dicitur sufficere ad scientiam subalternatam credulitatem humanam, respondetur non sufficere in scientiis naturalibus credulitatem (= fidem humanam, ut in obiectione) de principiis subalternantis, nisi certo constet (saltem per experientiam) talia principia contineri in scientia superiori quoad an est; licet non sciat quis sine scientia subalternante resolvere et reducere in illa* ». ²

Sola ergo humana fides non sufficit ad hoc ut scientia subalternata mere naturalis, sicut est Optica vel Acustica vel Medicina, sit vera et realis scientia in eo qui simul non habet habitum scientiae subalternantis, sed *necessario requiritur supplementum quoddam superioris ordinis*, v. gr. *experientia* de existentia scientiae subalternantis et quod principia quae assumit sunt revera conclusiones praedictae scientiae subalternantis. ³

Praeterea, Joannes cum ceteris thomistis docet in haeretico, qui fidem theologiam seu divinam amisit et quosdam articulos fidei credit per solam fidem humanam, non manere habitum theologiae sacrae, non solum quoad suam radicem supernaturalem, verum neque quoad suam entitatem naturalem veri habitus scientifici studio humano acquisiti; et hoc ideo, quia sola fides humana non sufficit ad fundandam veram scientiam. Ita enim argumentatur: fides acquisita seu humana est « lumen incertum »; « ex principiis autem incertis solum potest deduci habitus opinativus, utpote incertus ». Ergo theologia haeretici non est scientia, sed mera opinio. ⁴

Posito autem quod « sola fides humana » sufficit ad fundandam veram scientiam, non video qua ratione negari possit theologiam haeretici esse veram scientiam, licet alterius rationis formalis ac theologia nostra; neque qua serietate invehat Joannes in Vazquezium, qui putabat principia theologiae sufficienter teneri posse « fide humana ». ⁵

Denique, *notio fidei humanae*, quam Joannes habet, hanc interpretationem exigit. Notat ergo Joannes quod fides proprie dicta nominat « assensum aut iudicium intellectus, quo quis credit quod non videt, innitendo auctoritati dicentis »⁶; eamque immediate et adaequate dividit

¹ Cursus theol., in I P., disp. II a. 3, n. 11.

² l. c., n. 14. Et hoc modo interpretatur Joannem a S. Thoma *Marletta* O. P. (Comment. seu scholast. Controvers. ad I P. Divi Thomae, t. I, Controvers. V, n. 2, p. 78. Neapoli 1662; Controvers. VIII, n. 7, p. 123), qui certe non videtur habere pruriginem contradicendi D. Maritainio.

³ Hoc autem posito *necessario* supplemento, iam fides humana exit limites propriae speciei. Simul ergo ac dantur litterae patentes *nativitatis* talis scientiae subalternatae, dantur et *mortis* eius.

⁴ Cursus theol., l. c., disp. II a. 2, n. 5, ed. cit., p. 350 b. Et addit: « generaretur habitus theologiae *opinativus, vel erroneus, qui formaliter excludit theologiam veram* » (ibid., n. 8, p. 351 b).

⁵ *Vázquez* S. J., Comment. ac Dispp. in I P. S. Thomae, q. 1 a. 1, prior dubit. circa textum, n. 9, p. 5-6. Compluti 1598; disp. IV, cap. 8, n. 23, p. 26; disp. V, cap. 3, n. 5, p. 28: *Joannes a S. Thoma*, Cursus theol., l. c., a. 2, p. 349-352.

⁶ Cursus theol. in II-II., prolog., circa finem.

« in humanam et divinam, quia possumus credere quod non videmus innitendo *auctoritati humanae*, et haec dicitur *fides humana*, — aut innitendo *auctoritati divinae*, et haec dicitur *fides divina* ». ¹

Postmodum vero eas uberius explicat, scribens: « differentia autem inter utramque fidem est quod fides humana fallibilis est, utpote quia testimonium humanum fallibile est, quia homines et falli et fallere possunt; fides autem divina est infallibilis, eo quod testimonio divino innititur, quod nec falli nec fallere potest ». ²

Docet etiam cum S. Thoma fidem humanam non esse virtutem intellectualem: « manent exclusi a ratione virtutis intellectualis omnes illi habitus, quibus *potest subesse error aut falsitas*, eo quod *non procedunt certo et infallibiliter*, sicut v. gr. opinio, *fides humana*, suspicio et similia, quae non sunt virtutes, quia *non cum certitudine attingunt verum, sed possunt ad falsum et ad errorem degenerare* ». ³

Iam vero, sicut fides divina est una specie athoma, ita et fides humana, quia tota auctoritas humana cui talis fides innititur est eiusdem speciei athomae, hoc est, naturalis *perspicacitas* intellectus humani ad cognoscendum verum et naturalis *bonitas* voluntatis humanae ad dicendum vere verum cognitum, — haec autem duo sunt eiusdem speciei athomae apud omnes homines, sicut et humana natura ad quam naturaliter sequuntur est apud omnes eadem specie. Secus, deberemus fere tot species humanae fidei distinguere quot sunt homines testificantes. Nullus ergo datur locus distinguendi inter « quancumque fidem », contrapositam fidei divinae, et « humanam fidem », cum sint una eademque fides specie. Quapropter, si « quaecumque fides » non sufficit ad fundandam veram scientiam, nec « humana fides » sufficit.

Verum quidem est auctoritatem humanam suscipere infinitos gradus in diversis hominibus, sicut et humanus intellectus humanaque voluntas; at haec non mutant *motivum formale* fidei humanae.

Neque unus Joannes a S. Thoma in suo « Cursu theologico » ⁴ hanc doctrinam tenet, sed et multi alii thomistae primi subselli. Brevitatis causa, in mea *Responsione* citaveram Card. Lépicier. ⁵ Liceat modo quosdam alios afferre.

Báñez intrepide scribit: « in illo casu, homo ille *non haberet scientiam*, sed fidem humanam respectu principiorum immediate, conclusionum vero mediate, quarum assensus dicitur *opinio fundata in fide humana*. Et tunc nego consequentiam; quoniam simile adductum a D. Thoma non sic intelligendum est ut *unus* homo habeat *Perspectivam* solam et *alius* Geometriam. Nam *isto pacto Perspectiva non esset scientia*, iuxta doctrinam

¹ Cursus theol., in II-II, l. c. Haec primo loco refero, quia posthuma sunt et prius redacta quam commentaria *perpolita* in I-II, quae paulo infra citantur.

² Ibid.

³ Cursus theol., in I-II q. 52, disp. XVI a. 1, n. 2.

⁴ Dico: in Cursus theol.; quia in Cursus Phil., Logica, II P., q. 26 a. 3, ed. cit., 706-709, minus firmiter et clare loqui videtur. Cursus tamen theologicus posterior est Cursu philosophico.

⁵ Responsio, p. 117, nota 2.

aristotelicam : « non sciet nisi praemissarum habuerit scientiam vel aliquid maius scientia ». ¹ At vero homo ille *non habet scientiam praemissarum*, sed meram fidem humanam. Ergo *non potest habere scientiam Perspectivae*.

Intelligendum est ergo simile quantum ad hoc, quod sicut scientia Perspectivae *accipit* sua principia ab alia scientia, ita nostra Theologia *accipit* sua principia a scientia beata, quae est scientia Dei et beatorum.

Ceterum *magna differentia* est. Etenim nostra Theologia potest esse scientia, etiamsi non sit simul cum scientia beata : at Perspectiva non potest esse scientia, nisi coniuncta fuerit cum scientia Geometriae in eodem intellectu. — Et *ratio huius differentiae* est, quia principia Theologiae communicantur nobis a scientia beata Dei *mediante lumine ordinis supernaturalis, quod est lumen fidei*, quae *firmior est omni humana scientia*, quanvis evidentialia scientiae beatorum non communicetur nobis ; — at vero principia Perspectivae in eo qui caret Geometria, *non communicantur ei nisi per fidem humanam*, quae *ratio assentiendi infirma* est, ac proinde *neque conclusionum scientiam habebit*. ²

Et omnino logice respondet ad classicam difficultatem de scientia theologica haeretici : « *negatur quod haereticus possit esse verus theologus*, etiamsi antea fuerit catholicus ; *et ratio est*, quia iam *sola fide humana* vel opinione *universa principia* [suae theologiae] *credit* ». Sua ergo theologia est « *quasi cadaver scientiae* ». ³

Similiter González de Albelda impugnat Vazquezium dicentem Theologiam esse habitum acquisitum per fidem humanam seu ex articulis fidei humana fide creditis ⁴, his verbis : « fides humana est eiusdem rationis cum opinione et essentialiter est incerta, quia innititur testimonio humano, quod est fallax, nam *omnis homo mendax* ». ⁵ Unde concludit quod Theologia non esset scientia, sed mera opinio.

Pariter Marcus Serra : « aliae scientiae subalternatae, inquit, quamdiu non sunt coniunctae cum subalternantibus non habent certitudinem suorum principiorum, cum ea sola *fide humana*, quae *ex sua natura incerta ac formidolosa est*, credant ; ac, per consequens, nec suarum conclusionum : unde, licet scientiae appellentur et a D. Thoma, opusc. 70 [In Boëthium, De Trinitate], q. 2 a. 2 ad 7, *large* nomen scientiae accipiendo, *proprie tamen nonnisi quaedam opiniones sunt*. — At Theologia nostra, etiamsi coniuncta non sit cum visione beata, certitudinem habet, nam sua principia credit *fide divina*, quae *certissima* est, et ex certitudine principiorum certitudo ad conclusiones, quarum est scientia, derivatur ». ⁶

¹ Aristoteles, I Post., cap. 2.

² Comment. Scholastica, in I P., q. 1 a. 2, dub. 1 ad 1 arg. in oppositum, p. 20 b, ed. Valentiae, 1934.

³ Ibid., ad 2 arg., p. 21 a.

⁴ Vázquez, locis supra citatis.

⁵ González de Albelda O. P., Comment. et Dispp. in I P., disp. I, n. 15, p. 8 b. Compluti, 1621.

⁶ Marcus Serra O. P., Summa Comment. in I P., q. 1 a. 2, ad. 2 arg., p. 9. Romae, 1653.

Et Franciscus Sylvius ait : « circa illa quae in Corpore dicuntur, sciendum est ea non sic esse intelligenda quasi B. Thomas velit Musicam procedentem ex principiis per Arithmeticam notis esse scientiam in eo qui solum habet Musicam, sed in eo demum qui habet utramque. Nemo enim scientiam habet, nisi praemissa scientia vel meliore aliquo habitu teneat, secundum ea quae Philosophus dicit cap. II lib. I Posteriorum. — Similitudinem igitur in eo ponit, quod sicut Musica *accipit* sua principia ab alia superiori scientia et hoc non impedit quin sit vera scientia, ita Theologia potest esse scientia, etiamsi sua principia *accipiat* a superiori scientia, quae est scientia Dei et beatorum.

Disparitas autem est, quod nostra Theologia possit esse scientia, etiamsi non sit in eodem simul cum scientia beata ; non possit autem Musica habere rationem scientiae nisi sit in illo qui habet scientiam Arithmeticae : et *disparitatis huius ratio est*, quia Musica in eo, qui Arithmeticam non habet, communicatur ei solum per *fidem humanam*, quae est *ratio assentiendi infirma* ; Theologia vero communicatur nobis *per lumen fidei divinitus infusum*, quod est *ratio firmissimi assensus*, etiamsi non communicetur evidentialiter. ¹

His accedit Marletta, qui scribit : « Ad *rationem scientiae subalternatae, eo quod scientia est et non opinio, exigitur indispensabiliter ut actu innitatur principiis certo cognitis*. Quod ita verum arbitramur, ut scientia quaelibet naturalis subalternata non sit essentialiter scientia in subalternantis absentia, *nisi innitatur certae experientiae per sensum, vel scientiae a posteriori, per quam ab effectu teneat certo principia* ; alioquin habitus subalternatus esset *incertus et opinativus* . . . *Fides autem humana fluctuans est et incerta* . . . , adeoque non aequae illi ac divinae fidei, quae omnino certa est, nostra Theologia inniti potest ». ²

Et iterum : « cum scientia subalternata supponit principia credita solum fide humana, *non est vera scientia, sed opinio* ; unde requiritur, ut vera scientia sit, quod cognoscat principia *certitudinaliter et evidenter, saltem a posteriori et per experientiam*, ut notavi etiam supra ». ³

Denique, ne series citationum plus debito dilatetur, claudamus seriem verbis Card. Gotti : « esto in multorum opinione scientia subalternata naturalis, in eo qui caret scientia subalternante, non sit vera quoad substantiam scientia, hoc ideo non est quia praecise in eo subiecto careat evidentialiter principiorum, sed quia, cum careat evidentialiter et debeat niti

¹ *Franciscus Sylvius*, Comment. in I P., q. 1 a. 2, p. 7. Venetiis, 1726. Notetur dependentia, etiam litteraria, Sylvii a Bañezio, in textu supra citato.

² *Gabriel Marletta* O. P., op. cit., in I P., q. 1 a. 2, controvers. V, n. 12, p. 78.

³ Op cit., controvers. VIII, n. 7, p. 123. Marletta est valde addictus Joanni a S. Thoma, quem frequenter cum plausu refert ac sequitur. Refert quoque veluti eiusdem sententiae Joannem de Neapoli (Variar. Quaest., q. 18, punct. 2, § Dicendum est ergo), Herveum (In I Sent., prol. q. 1, § Servandus modus) et Xantem Marialem (Relectiones ad finem t. IV, relect. 1, membro 5), quorum textus in praesenti non habeo prae manibus.

testimonio humano attestanti illa principia esse probata in scientia superiori, quod *testimonium est fallibile, consequenter caret etiam certitudine necessaria ad scientiam*. At Theologia viatoris, esto careat evidentia principiorum, non caret tamen, immo maiori gaudet certitudine ob testimonium Dei infallibile illa revelans ». ¹

Neque quidquam valent quae subdit R. D. Journet: « on connaît d'ailleurs le passage où Cajétan explique que les principes prochains de la science subalternée sont connus soit *per se*, par l'habitus de la science supérieure; soit *per accidens*, par la foi » (loc. cit., n. 4, in fine).

Nisi enim illud *per accidens* sit *infallibiliter connexum* cum *per se*, non potest communicare subiecto non habenti habitum scientiae subalternantis *infallibilitatem* scientiae subalternantis *modo omnino tuto et infallibili*; quod omnino requiritur ad rationem scientiae subalternatae. Qua de causa, pro Sacra theologia non sufficit quod auctoritas Dei revelantis sit in se et obiective infallibilis, sed prorsus necesse est quod *infallibiliter* attingatur a nobis credentibus; et ob hoc est necessarium ponere in nobis *habitus* fidei theologiae, qui est vera virtus intellectus, et minime sufficit habitus acquisitus fidei humanae, ut est in haeretico.

Ceterum, auctoritas Caietani non est ad rem, quia in loco ad quem alludit R. D. Journet non tangit quaestionem an scientia pure naturalis subalternata in eo qui caret scientia subalternante sit necne vera scientia saltem quoad substantiam habitus, et non mera opinio: ² « chacun peut vérifier ».

Scio quosdam thomistas, quos potuisset citare R. D. Journet, expresse tenere contrarium; sed omnino festivum est eos videre plurimum insudantes ut positionem suam utcumque minus inverisimilem reddant, continuo mutant medium probationis, et nondum illud invenire potentes.

Quis, quaeso, ferre poterit modum illum philosophandi, quo dicitur scientiam subalternatam in absentia subalternantis non esse quidem veram

¹ Gotti O. P., Theol. schol.-dogmat., in I P., tract. I q. II, dub. 1, n. 20, p. 61 a. Bononiae, 1727.

² « Principia proxima subalternatae possunt duplici habitu cognosci, scilicet scientia superiori et fide, ut in Littera expresse dicitur, dum in corollario ponitur fides de principiis et in distinctione ponitur lumen superioris scientiae de eisdem. Sed *scientia superior* est eorum habitus *per se*, **quia ex essentiali comparatione, ex qua habet subalternatam quod sit scientia**; fides vero est eorum habitus *per accidens*, quia ratione subiecti in quo est, puta perspectivi non geometrae » (Caietanus, in I q. 1 a. 2, n. 3).

Ex hoc textu Caietani potius contrarium sequeretur. Si enim *scientia* subalternata habet esse *scientiae* a *scientia* subalternante, et quidem ex *essentiali* comparatione seu *dependentia*, hac sublata, per se sequitur illius destructio: sublato enim *essentiali* elemento, tollitur *essentia* vel species. Hoc autem impediri non potest, nisi ponatur communicatio scientiae subalternantis cum subalternata *alia via aequae firma et certa et infallibili* sicut scientia subalternans: quod quidem unice accidit in casu Theologiae Sacrae, nam per fidem theologicam *aequae firmam et certam et infallibilem* ac ipsa scientia Dei et beatorum, communicatur *substantia et veritas* eius theologiae viatorum. Si autem poneretur via fallibilis et alterius ordinis, v. gr. fides humana, ut in haeretico, theologia viatorum non esset scientia, sicut docent posteriores thomistae.

scientiam *quoad nos*, esse tamen veram scientiam *quoad se*? — Sed omnia vera quae ignoramus, vel a quibus errando deficimus, sunt vera *quoad se*, — et hoc non impedit quominus revera nos simus ignorantes vel errantes. Deum esse est per se notum *quoad se*; — sequiturne nos habere immediatam cognitionem existentiae Dei? Scientia nostra, licet de re, *in nobis* debet esse, cum essentialiter sit habitus quidam.

Quis sibi persuadebit testimonium humanum habentis scientiam subalternantem esse infallibile prorsus, quia non est eius *ut est homo*, ideoque *mendax*, sed *ut est sciens* scientia *infallibili* subalternante? — Nam dato quod scientia illa, reduplicative ut talis, det eam habenti infallibilitatem *in cognoscendo* proprium obiectum, minime sequitur dare posse infallibilitatem *in loquendo vel testificando*; quia verba humana sunt *ad placitum* significantia; et scientia, utpote *habitus pure intellectualis et speculativus*, *non rectificat infallibiliter voluntatem testificantis*, — et tamen haec *infallibilitas in loquendo vel testificando est de essentia auctoritatis*, cum sit *ipsum motivum formale fidei*, nam infallibilitas in cognoscendo solum se habet in obliquo et de connotato.

Quis denique admittere poterit fidem humanam in non habente scientiam subalternantem esse *solum conditionem sine qua non*, per modum approximationis et applicationis, scientiae subalternantis ad scientiam subalternatam? — Tunc proportionaliter dicendum erit quod fides theologica est mera *conditio sine qua non* pro Theologia viatorum; — quod vix aliquis audebit dicere, nam mera *conditio sine qua non* non potest dici habitus principiorum Theologiae, etiam *per accidens*; — neque potest esse « substantia sperandarum rerum » seu vera « inchoatio vitae aeternae in nobis », neque « fundamentum » totius supernaturalis aedificii.¹

Dato tamen quod ita sit saltem in ordine mere humano scientiarum pure naturalium, haec approximatio et applicatio *deberet fieri infallibiliter*, non fallibiliter, sicut est essentialis indoles humanae fidei. Et inde est quod *propositio Ecclesiae*, quae est *conditio sine qua non* fidei theologicae in nobis, debet esse *infallibilis*, et quidem *infallibilitate supernaturali* seu eiusdem ordinis ac ipsa fides.

Dicam ut sentio: tentamina adeo inefficacia, ne dicam fere ridicula, contrarie sentientium, mihi vehementer persuadent de veritate oppositae sententiae, quam incunctanter sequimur.

S. Thomas ipse hanc quaestionem, an scientia subalternata mere naturalis in absentia subalternantis, cuius conclusiones credit fide humana, sit vera scientia, saltem quantum ad substantiam habitus, non sibi posuit explicite, neque per transennam et quasi incidentaliter ei solutionem explicitam dedit.

Doctrina tamen, quam habet, de fide humana deque eius relatione ad scientiam, solutionem negativam exigere videtur. Iuxta eum fides

¹ Tam fides theologica quam humilitas christiana dicuntur *fundamentum totius* spiritualis aedificii, sed diversimode: humilitas, *per accidens*, ad modum removentis prohibens; fides *per se*, ut lapis angularis totius aedificii supernaturalis (II-II q. 151 a. 5 ad 2).

humana nihil est aliud quam « *opinio* vehemens »¹ seu « *opinio* firmata rationibus »² vel etiam « *opinio* fortificata rationibus »³, quae ideo est « *infra* scientiam », utpote fundata in auctoritate humana, quae est « locus *infirmisissimus* » argumentandi; unde non est virtus intellectualis, sicut scientia, neque etiam virtus intellectus, sicut fides theologica⁴, quod ita ostendit S. Doctor: « *ratio* inclinans voluntatem ad credendum *articulos* est ipsa veritas Prima, quae est *infallibilis*; sed *ratio* quae inclinatur voluntatem ad credendum *alia* est vel aliquod *signum fallibile*, vel *dictum* alicuius scientis *qui et falli et fallere potest*; unde voluntas *non dat infallibilem veritatem intellectui credenti alia credibilia*, sicut dat *infallibilem veritatem credenti articulos fidei*, et *propter hoc haec fides est virtus et non alia* ». ⁵ Si ergo fides humana est in categoria *opinionis*, licet vehementis seu fortificatae seriis motivis, fundare scientiam in fide humana est eam reducere ad conditionem *opinionis*, quod est destruere essentialem rationem scientiae: quod si secus dicatur, iam conclusio superat principium et effectus causam suam. ⁶

Quinta glossa. « Mais, poursuit R. D. Journet, le P. Ramírez fait une seconde objection. Selon lui, mises à part les vérités qui sont explicitement révélées et officiellement déclarées par l'Eglise, à peine trouverait-on une proposition scientifiquement certaine en théologie. Tout ne serait qu'opinion. Voilà une vue singulièrement pessimiste. Nous ne savons s'il y aura beaucoup de théologiens pour l'approuver. L'argument du P. Ramírez revient à ceci: les vérités théologiques que reçoit la philosophie morale sont, ou ne sont pas, explicitement révélées. Dans le premier cas, *il est vain de les recevoir de la théologie*, c'est à la foi elle-même que serait subalternée la philosophie morale; mais, J. Maritain en convient, c'est là une impossibilité. Dans le second cas, *il est vain de considérer ces « vérités » comme certaines*, elles ne sont que des opinions, incapables d'être principes d'une science subalternée. *Ainsi donc, pour ruiner la subalter-*

¹ III Sent., dist. 23, expositio textus, ed. Moos O. P., n. 301; II-II q. 129 a. 6. Fides communiter accepta (= fides humana) est « secundum quam dicimur credere id quod vehementer opinamur, scilicet ex testimonio alicuius hominis » (De Verit., q. 14 a. 2).

² III Sent., dist. 23, q. 2 a. 2, q. 3 ad 1, ed. cit., n. 159. Per rationes autem evidenter intelligit *motiva* seria seu *momenta* vel *argumenta* assentiendi. Cfr. III q. 54 a. 5.

³ I Sent., prolog., q. 1 a. 3, q. 3.

⁴ I Sent., l. c.; I q. 1 a. 8 ad 2; III Sent., dist. 23, q. 2 a. 3, q. 3, n. 183-188.

⁵ III Sent., dist. 23, q. 2 a. 4, q. 1 ad 2, n. 201. Cfr. II-II q. 4 a. 5 ad 2.

⁶ Ex his textibus S. Thomae luce clarius apparet fidem humanam esse eiusdem speciei ac opinio, a qua solum differt sicut perfectum ab imperfecto intra eandem essentiam, sicut vir a puero intra eandem speciem humanam. Unde thomista optimus, Didacus Mas O. P., qui relationes inter meram opinionem et fidem humanam fuse et profunde tractavit, concludit « fidem (humanam) et opinionem esse **rem unam et eandem, tantumque differre tanquam perfectum et imperfectum intra eandem speciem** » (*Comment. in Porphyrium et in universam Aristotelis Logicam*, II Post., cap. 26, q. 5, concl. 4 t. II, p. 433, ed. Moguntiae, 1617. Cfr. *ibid.*, q. 2, p. 422-424; q. 4, p. 428-430).

nation proposée par J. Maritain, le P. Ramirez est obligé de contester la valeur de la théologie comme science ! C'est pour nous une preuve frappante de la solidité des positions de J. Maritain » (loc. cit., n. 5. Sublineatio est eiusdem R. D. Journet).

Glossa « formidabilis » et vere « frappante », si haberet fundamentum aliquod in re ! R. D. Journet non indicat, more suo, locum « Responsionis » meae, ubi ego dixi ea quae mihi adeo liberaliter tribuit, fortasse quia putat solam « fidem humanam » sufficere ad fundandam veram scientiam « subalternatam » in lectoribus suis.

Locus ergo « Responsionis », ad quem alludit, invenitur, ni vehementissime fallor, in pp. 117-118 ; nec enim alius locus, vel cum levissimo et remotissimo fundamento, assignari potest. Atqui in illo loco *nec re nec specie tenus* continetur id quod exhibet « glossa » praedicta, quantum ad *introductionem* eius quod ipse appellat « argumentum » meum et quantum ad *secundam partem dilemmatis*, quae unice ad rem pertinent — nam in prima parte dilemmatis convenimus omnes, ut video, licet minus exacte ab eo referatur ¹ —. « Glossam » suam ad litteram exscripsi, indicans locum praecisum ubi invenitur ; textus meus invenitur in loco citato « Responsionis », ubi lectores possunt illum relegere, nimis enim onerosum esset facere hic secundam eius editionem. Comparentur inter se textus eiusque « glossa » et, nisi quis habeat sanguinem suum in statu « ebullitionis », videbit se habere sicut formam ad privationem, ne dicam sicut contrarium ad contrarium : « chacun peut vérifier ». Multi iam fecerunt « verificationem », et mirati sunt vehementer de simili « glossa ».

Ubi ego dixi quod in Theologia, « mises à part les vérités qui sont explicitement révélées et officiellement déclarées par l'Eglise . . . , tout ne serait qu'opinion » ? Ubi ego negavi aut in dubium versus sum (contester) « la valeur de la théologie comme science » ? — Fidenter dicam : si quis demonstrat ex meo textu me dixisse explicite vel implicite ea quae refert « glossa », manus victas in tota hac controversia de philosophia christiana in perpetuum trado.

Aliud est conclusiones theologicas *esse* veras conclusiones et non meras opiniones, aliud *cognoscere* eas esse veras conclusiones easque *discernere* a meris opinionibus : alius est ordo *essendi*, alius est ordo *cognoscendi*. ² Unquam negavi in scientia theologica *esse* veras conclusiones toto rigore scientifico demonstratas, quin potius hoc explicite dixi ; unquam etiam negavi *theologos*, hoc est, vere possidentes scientiam theologicam non posse vere et certo *cognoscere* veras conclusiones theologicas esse tales, easque vere et certo *discernere* a meris opinionibus. Id quod negavi, et iterum iterumque negabo, est *virum ignarum scientiae theologicae* — sive simul sit philosophus sive non — posse *proprio et personali iudicio* vere et certo *cognoscere* veras *conclusiones* theologicas esse tales merasque *opiniones*

¹ Videatur Responsio, p. 117, l. 5-8.

² Haec distinctio perspicua erat in *Responsione* : « si vero sermo sit de *veritatibus* quae sunt tantum *scitae scientiae theologicae*, quomodo **discernet** eas esse *veritates* et non *meras opiniones* theologorum ? » (p. 117).

tales esse, et utrasque inter se vere et certo *discernere*, ita ut non confundat unquam conclusionem vere et rigurose demonstratam cum mera opinione per medium pure dialecticum stabilitam. Nam scientia, ut verbis utar celeberrimis S. Augustini, non solum scit, sed etiam *scit scire*; e contra, qui scientia caret, nec scit res, nec *scit scire*, hoc est, *discernere* verum scire ab apparenti vel a mere probabili. Ergo philosophus christianus *non theologus* non modo non scit ipse *proprio et personali iudicio* veras conclusiones theologicas ut tales, sed neque *scit scire* eas, hoc est, vere et certo *discernere* a meris opinionibus theologis: et norunt omnes aliquando esse difficilius *reflexe et critice* scire veras conclusiones esse tales et non meras opiniones, quam *directe et in actu exercito* veras cognoscere conclusiones. Quoad utrumque philosophus *non theologus* eget *auctoritate theologorum*.

Atqui *argumentum ex auctoritate theologorum* non est validum neque legitimum, si non sit *omnium omnino theologorum vel saltem maioris et melioris partis*. Haec est conditio, quae in omnibus tractatibus de locis theologis ponitur, ad probandam conclusionem aut veritatem theologicam *ex auctoritate theologorum*¹; haec etiam debet esse conditio ut philosophus christianus non theologus ne sit *levis corde*, nimis *cito credens*² conclusiones theologicas, quas accipit a theologis, esse veras conclusiones et non meras opiniones. Quod adeo verum est ut, tenentes scientiam subalternatam ordinis mere naturalis in absentia subalternantis esse veram scientiam, hanc conditionem expressis verbis exigant. « Respondetur — ait Goudin — Musicum habere certitudinem infallibilem suorum principiorum, quia non tenet illa solum per fidem humanam, sed per quandam notitiam certissimam *innixam communi et indubitato doctorum omnium consensu* ». ³ Ceterum, aliud est cognoscere *in communi et in confuso*, ex peritorum testimonio, esse aliquas veritates in tali vel tali genere scibili; et aliud scire *in concreto et in particulari* hanc vel illam propositionem, quam subalternatus vult assumere ut principium, esse veram conclusionem vere demonstratam in scientia subalternante et non meram opinionem huius vel illius excolentis scientiam subalternantem. Et tamen *hoc secundum omnino requiritur*, quia *principia debent esse explicite et distincte cognita*; secus, quomodo *facient cognoscere explicite* conclusiones ex illis inferendas?

Neque hoc est ullo modo negare aut in dubium vertere valorem scientificum Sacrae theologiae, sed sublineare « miserabilem » et « pessimi-

¹ « Ex auctorum omnium scholasticorum *communi sententia*, in re quidem gravi, usque adeo probabilia sumuntur argumenta, ut illis refragari temerarium sit » (*Melchior Cano* O. P., De locis theol., lib. VIII, cap. 4, n. 3, t. II, p. 93. Romae, 1900). « Theologorum scholasticorum etiam *multorum* testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem quam vel *ratio ipsorum*, vel *gravior etiam auctoritas comprobarit* » (ibid., n. 2, p. 92). « Unius vel alterius tantum theologi, vel etiam aliquorum sed paucorum doctrina, non est argumentum sufficiens » (*Schultes* O. P., De ecclesia, a. 72 d, p. 686).

² Eccli., 19, 4.

³ Philosophia thomistica, Metaphysica, q. 4 a. 2, circa finem, t. IV, p. 296. Matriti, 1796.

sticam » conditionem intellectualem *philosophi christiani non theologi* volentis subalternari theologiae. Quae de conditione huius « infelicis » philosophi dixi in mea « Responsione », R. D. Journet putavit esse dicta de vero theologo, immo et de ipsa Theologia. Qualis confusio, mehercule !

An negavit S. Thomas valorem scientificum philosophiae quando scripsit non sufficere auctoritatem philosophorum, ut massa humanitatis ignara vere et indubitate cognoscat veritates naturales de Deo ? ¹

Quae cum ita sint, ultima verba R. D. Journet sunt « singulièrement frappantes » et « optimistes » : « c'est pour nous une preuve frappante de la solidité des positions de J. Maritain » (loc. cit., n. 5, in fine). Certè, difficillimum esset adinvenire « solidiorem glossam » ad « solidificandas » positiones adeo « solidas » D. Maritain.

Sexta et ultima glossa. Ad modum status quaestionis, ait R. D. Journet : « le P. Ramírez avait écrit que la science subalternante et la science subalternée doivent appartenir au même ordre, bien qu'elles diffèrent spécifiquement. Cette affirmation avait étonné tout le monde. Il était facile d'opposer l'exemple classique de notre théologie, entitativement *naturelle*, subalternée à la science de Dieu et des bienheureux, laquelle est surnaturelle » (loc. cit., n. 6).

Verum est me dixisse scientiam subalternantem et scientiam subalternatam pertinere ad eundem ordinem, esse tamen specificè differentes. ² Aliam propositionem : « cette affirmation avait étonné tout le monde », *distinguo* : « tout le monde » absolute et proprie sumptum, hoc est, omnes omnino homines qui sunt in mundo, *nego* ; relative et « tropice » sumptum, idest omnes homines pertinentes ad « societatem » quandam, quam « maritainianam » vocant, *subdist.* : « avait étonné tout le monde » rationabiliter seu *cum fundamento in re, nego* ; sine ratione vel sine *ullo fundamento in re, conc.*

Mea « affirmatio » continebat « alphabetum » philosophiae thomisticae. Sermo erat de ordine scientiarum ut scientiae sunt, non de ordine naturali et de ordine supernaturali ; quia naturale et supernaturale non sunt differentiae immediatae seu per se primo scientiae ut scientia est, cum non solum dicantur de scientia, verum etiam de ceteris virtutibus intellectualibus et de moralibus et de habitibus entitativis et de actibus et de sexcentis aliis rebus.

Iam vero scientiarum ut scientiae sunt talis est ordo qualis est ordo obiectorum earum, hoc est, generis subiecti et gradus abstractionis seu modi vel medii cognitionis. Si differentia est *generica*, idest diversi generis

¹ « Tertium inconueniens est quod *investigationi rationis humanae plerumque falsitas admiscetur*, propter debilitatem intellectus nostri in iudicando, et phantasmatum permixtionem. Et ideo *apud multos in dubitatione remanent ea quae sunt etiam verissime demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant* ; et **praecipue cum videant a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri**. Inter multa etiam vera quae demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili vel sophistica ratione asseritur, quae interdum demonstratio reputatur. Et ideo *oportuit per viam fidei [divinae] fixam certitudinem et puram veritatem* de rebus divinis hominibus exhiberi » (I Contra Gent., cap. IV, circa finem).

² Bulletin Thomiste, l. c., p. 431.

subiecti et diversi gradus generici abstractionis, ordo inter eas dicitur proprie loquendo *subordinatio*, quatenus ordo unius est sub ordine alterius ut genus sub genere primo inter se diversa et impermixta; et hac ratione omnes scientiae pure naturales subordinantur Metaphysicae, et Metaphysica cum ceteris sibi subordinatis subordinatur Sacrae Theologiae.

Si vero differentia sit solum *specificata*, idest intra idem genus subiectum eundemque gradum genericum abstractionis vel medii cognitionis, licet cum differentia accidentali ex parte generis subiecti et cum applicatione medii cognitionis ad accidens illud ut connotatum a genere subiecto, tunc dicitur proprie loquendo *subalternatio*. Itaque scientia subalternans et scientia subalternata sunt *eiusdem ordinis scibilis*, hoc est, eiusdem generis subiecti eiusdemque modi cognoscendi; secus scientia subalternans non posset demonstrare demonstratione *propter quid* conclusiones scientiae subalternatae, quia demonstratio *propter quid* dicitur illa quae procedit ex causis *propriis, immediatis et adaequatis* conclusionis. Immo nec licet demonstrando transire de genere ad genus scibile, cum unumquodque genus scibile habeat sua propria principia.¹ Et propter hoc S. Thomas post Aristotelem dicit quod scientia subalternans et subalternata « *communicant in nomine generis* et non in nomine speciei ». ²

Hoc est aequivalenter dicere quod scientiae subalternantis et subalternatae est idem obiectum formale *quod*: in subalternante quidem pure et simpliciter dictum sine connotatione alicuius extranei, in subalternata vero cum connotatione differentiae accidentalis se habentis ad illud ut materiale ad formale, et ratione huius connotationis, quam speciali modo considerat, est sub illa. Qua de causa, theologia Dei et beatorum et theologia viatorum, quae se habent ad invicem ut subalternans et subalternata, habent idem obiectum formale *quod*: quinimmo, et ipse D. Maritain, ut posset defendere subalternationem philosophiae moralis christianae adaequate sumptae ad theologiam moralem, logica interna coactus est affirmare idem esse obiectum formale *quod* utriusque, non obstante quod haec affirmatio transcendat limites tolerabilis.

Si quis ergo, audiens meam affirmationem, divertit ad ordinem naturalem et supernaturalem, dicens: « il était facile d'opposer l'exemple classique de notre théologie, entitativement *naturelle*, subalternée à la science de Dieu et des bienheureux, laquelle est *supernaturelle* », — extra quaestionem vagatur; et si inde manet « étonné », suus « étonnement » nullum habet fundamentum in re, sed se habet ut scandalum acceptum tantum seu mere passivum. Ut autem acute et vere dicit alicubi Faber, peius quam « scandalizare » est « scandalizari »; et similiter, peius quam « étonner » est « s'étonner ». Sed hoc nihil mirum habet, ex quo vidimus vehementem « étonnement » in « glossa » praecedenti: « trepidaverunt timore ubi non erat timor »!³

Quae autem postea subdit: « le P. Ramírez précise aujourd'hui que la science subalternée peut être d'un ordre différent, pourvu qu'elle soit

¹ In I Post., lect. 15.

² In I Post., lect. 25, n. 3.

³ Psalm. 52, 6.

au moins *radicalement surnaturelle* », eadem aequivocatione laborant. Haec « praecisio » est a me « negative » facta, hoc est, quod non erat necesse eam facere, cum eam prius non negaverim, eo quod haec distinctio ordinis naturalis et supernaturalis nullam relationem habeat cum « affirmatione » praedicta.

Haec omnia clara erant in « Bulletin Thomiste »¹; clariora adhuc in *Responsione mea* »², ubi appellavi ad « lectionem » et « interpretationem » directam textus mei sine perspicillis coloratis « honesti » Billuart.³ Inutile insistere in re perquam evidenti gallice et latine iterato prolata : si textus adversarii non legitur, saltem ex integro, dicendo : « quittons donc ces régions qui n'offrent pour nous aucune espèce d'intérêt », verificatur illud « sollemne florilegium » : « pas de dialogue possible » ; « on y prête à l'adversaire des expressions ... dont on est seul responsable » ; « on y use de procédés fort regrettables ».

Sed veniamus ad ipsam « glossam » directe intentam a R. D. Journet : « il sera aisé, du point de vue de J. Maritain, de répliquer que la science subalternée peut être d'un ordre différent, pourvu qu'elle soit surnaturelle, soit radicalement, soit *complétivement et perfectivement* » (loc. cit., n. 6).

Certe, « facile » est replicationem istam affere ; sed non ita « facile » replicatio haec sensum et verba argumentationis meae tangit, quae est *in alio ordine prorsus diverso*, ut ex dictis patet.

Dato tamen quod ille esset sensus argumenti mei, ei non fit satis reaffirmando scientiam subalternatam scientiae Dei et beatorum posse esse supernaturalem sive radicaliter, ut theologia viatorum, sive complete et perfective tantum, ut philosophia christiana adaequate sumpta. De hoc enim est quaestio, an possit salvari vere et proprie dicta subalternatio recipiendo a subalternante conclusiones suas veluti principia sui, non per modum radicis seu principii conclusionum inferendarum a subalternata, sed per modum complementi et perfectionis tantum, quasi terminationis et consummationis eius. Hoc namque est accipere principia non per modum principiorum, sed per modum complementorum seu terminorum consummantium : quod, sane, intelligat qui potest. Quid est principium per modum termini ? Sicut caput per modum caudae, vel sicut album per modum nigri. Quando thomistae ceterique philosophi peripatetici dicunt

¹ « La philosophie naturelle ne se subalterne pas à la métaphysique, *parce qu'elles sont d'ordre différent et qu'elle ne se tient pas au même degré d'abstraction*. Comment la philosophie morale pourra-t-elle se subalterner à la théologie, qui est *infiniment supérieure, incommensurablement plus que la métaphysique ne l'est aux autres sciences ?* » (p. 431).

² « Scientia subalternans et scientia subalternata debent esse *eiusdem ordinis*, hoc est, *eiusdem generis subiecti et eiusdem gradus abstractionis ...* » (p. 118). « Interpretatio » D. Maritain et R. D. Journet valeret, si nomen et conceptus *ordinis* exclusive diceretur de ordine naturali et de ordine supernaturali ; vel si *in contextu* affirmationis meae ageretur de ordine naturali et de ordine supernaturali, et non *reduplicative* de ordine *scientiarum* subalternatis et subalternatae. Nullum ergo fundamentum *in re* habet talis « interpretatio » vere « étonnante ».

³ Responsio, p. 121.

scientiam subalternatam accipere ut propria principia conclusiones subalternantis, intelligunt esse principia per modum principiorum : principium quod non est per modum principii est contradictio in adiecto, et nomine tenus seu « pure verbaliter » potest dici principium.

Neque aliquid conficitur subiungendo : « la notion de subalternation s'applique analogiquement à la théologie et à la philosophie morale adéquate » (loc. cit., n. 6). Quod est pura aequivocatio non est analogia.

Nec satis. Dicunt thomistae quod « scientia subalternata est illa quae ita dependet a subalternante, ut nequeat absque subordinatione ad eam ullam conclusionem demonstrare ». ¹ Quaero nunc : philosophia moralis adaequate sumpta potestne independenter a theologia morali demonstrare aliquam conclusionem ? Si non potest, non est philosophia neque scientia secundum speciem suam, independenter a theologia ; quia scientia quae nihil potest demonstrare est contradictio in adiecto, cum scientia definiatur : « habitus conclusionum per demonstrationem acquisibilis ex principiiis ». ² Sin autem possit, iam non est scientia subalternata subalternatione proprie et stricte dicta, ut mordicus tenetur. Aut ergo philosophia moralis, ut philosophia, radicaliter destruitur, aut pessumdatur eius subalternatio proprie et stricte dicta ad theologiam moralem.

Prosequitur ulterius R. D. Journet : « nous pourrions allonger ces remarques. Ce que nous venons de dire suffit, croyons-nous » (loc. cit., n. 6).

Certe, etiam nos putamus sufficere ea quae dixit. Ex illis — et suppono non elegisse de industria casus difficiliore — sufficienter constat quantae soliditatis et « realismi » sint « glossae » eius et « positiones » D. Maritain, simulque quantae fragilitatis erant nostrae responsiones et « comment plusieurs sont purement verbales ». Quod « si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet ? » ³

Animadvertit tamen quod, his omnibus in contrarium non obstantibus, inveniuntur in mea *Responsione* « quelques passages qui méritent de retenir l'attention » (loc. cit., n. 6). Deo gratias ! Videamus. In primis, ubi est sermo de virtutibus moralibus acquisitis sine caritate seu in habente peccatum mortale. Si retinentur quae ibi dicuntur et innuuntur, iam theoria D. Maritain et R. D. Journet de philosophia morali christiana adaequate sumpta, est graviter « vulnerata », ne quid magis « pessimisticum » dicam. Deinde, « un second passage intéressant est celui qui traite de la conclusion théologique » (loc. cit., n. 6). Non exspectaveram audire me de conclusione theologica sat bene locutum fuisse, ex quo audieram prius meipsum negare aut in dubium vertere (contester) « la valeur de la théologie comme science », ac si pro me in Theologia « tout ne serait qu'opinion ». Ex quo autem admitto quod « des vérités de foi (matériellement), peut tomber formellement sous l'habitus de la théologie pour autant qu'elles sont déduites », petit a me : « pourquoi donc reprochait-il à J. Maritain d'avoir cité deux

¹ Complutenses Abbreviati per Joannem ab Annuntiatione, Logica, Disp. 19, q. 1, n. 6, p. 185 a. Patavii, 1675.

² Caietanus, in I q. 1 a. 2, n. 1.

³ Luc. 23, 31.

vérités de *foi* comme exemples des emprunts que la philosophie morale peut faire à la théologie ? » (loc. cit., n. 6).

Responsio in promptu est. Suntne veritates *deductae* in theologia *existentia* finis ultimi supernaturalis et *existentia* lapsus et reparationis humanae naturae ? Ex quo principio vel ex qua veritate de fide *vere et rigurose* demonstrantur seu deducuntur — et non per meram « probabilitatem » aut « convenientiam » —, quin eadem veritates praesupponantur explicite vel implicite ? Meo quidem iudicio, neutra veritas *rigurose* demonstratur ex alia priori, quia ex nulla priori *ex necessitate* dependet, sed utraque sola fide exclusive tenetur.

* * *

Denique, concludit « glossas » suas per haec prudentissima verba, quae libenter ac sincere nostra facimus : « Faut-il l'écrire ? Nous ne pensons aucunement être infaillibles. Nous disons simplement comment les choses nous apparaissent » (loc. cit., n. 6, in fine).

Ambo fallibiles sumus ; ambo sincere quaerimus veritatem in caritate et caritatem in veritate ; ambo sinceritate ac simplicitate mentis et cordis exponimus res prout nobis apparent. Addo insuper me nullum verbum amarum aut « blessant » ex intentione dicere voluisse. Quod si forte inveniatur aliquod — de hoc enim iudex non sum, licet, fateor, non ex toto abhorream ab ironia quadam, quae ad eutrapeliam haud incongrue reduci posset —, pro non dicto habeatur : caritas non cogitat malum, patiens est, non irritatur, non agit perperam ; congaudet autem veritati.¹

¹ I Cor., XIII, 4-6.